



~~17~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII.

**ELEGIA**

IN

**FVNERE**

*VIRI SVMMÆ REVERENDI MAGNIFICI  
EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI*

**DOM. CASPARIS  
LOESCHERI**

**SVPERINTENDENTIS PER CIRCVLVM  
ELECTORALEM SAXONIAE GENERALIS PRO  
FESSORIS P SCRIPTVRARVM S IN ACADEMIA VITEM  
BERGENSI ET SENATVS ECCLESIASTICI QVI IBIDEM  
VIGET ASSESSORIS GRAVISSIMI CELEBRA  
TISSIMIQVE**

AD

**AMPLISSIMAM MAGNI PARENTIS FAMILIAM  
NVNG LVCTV ET DESIDERIO ILLIVS  
PENE OPPRESSAM**

SCRIPTA

A

**CHRISTOPH. FRIDERICO AYRMANNO**

FACVLTV PHILOS ASSESS

A. R. G. cl. b. CC XVIII

---

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYP



**R** Eligio pietasque tuum post funera nomen  
Augebunt, nec te fama perire finet:  
Quin etiam ereptum terris, coeloque repositum,  
Viuere sublimem te super astra refert.

Hic uirtutis honos, haec doctae praemia mentis,  
Illa uenit sancto gloria ab eloquio.

Sat mihi magna feget laudis nascencia praebet  
Carmina, quae celebrem te, Venerande Senex.

Verba nec ausuro magnum mihi magnus Apollo,  
Musa nec heroas dicere docta, neget.

Me dolor, et lachrymans orbis mellioris imago,  
Et querulae uoces, magna sonare uerant.

Tempus erat, quo clausa sopor mihi limina pulsans,  
Heu nimium duras constitit ante fores.

Cuncta dabant requiem, mihi uentus et aura faebat,  
Vnius et somni cura relicta fuit:

Cum nouus ad tacitas accedit, nuncius aedes,  
Et sequitur uersi cardinis ore sonum.

Tunc uacas somno, lachrymis nec turgida torques  
Lumina, nec toto pectore acerba gemis?

Heu nostri columen templi, quo magna refedit  
Moles, a casu uix modo tuta, cadit.

Sicilicet eximium decus et uenerabile, Praeful  
Vrbis, diuinae certa columna rei,

Pallidus adsueta ad sidera tendere palmas  
Desinit, atque humeros sternere utrique polo.

Ora silent, modo melliflua resonantia suada,  
Alternaque oculos nox premit orba die.

Dixit, et abrupto solum sermone reliquit,  
Attonitum, longas uoce trahente moras.

Multa ubi iam tacite uoluendo, multa uicissim  
Questus eram, somnus deficit ante domum.

Quaeritur, et frustra panduntur limina: nusquam  
Cernitur: hic illic pallor et umbra sedet.

Ergo ad sollicitae mentis solatia uersus,  
Tristitiam uerbis fallere constitui.

Quam bene conueniunt, dixi, mors et sopor: illa  
Non minus et cupidus saepe uocata fugit.

Hanc puer et iuuenis pertaesi uiuere clamant,  
Firmior hanc aetas, decrepituque senex.

Non secus, aestiuo Cerealia muna rure  
Qui fecat, a curua falce uacare cupit.

Qui ueluti tardos queritur procedere soles,  
Lentius et causat currere noctis iter:

Sic ubi per varios exacta est uita labores,  
Longa dies uitae, mortis acerba mora est.  
Quae cum optata uenit, platanum non gratior umbra,  
Sirius ardenti cum premit arua face:  
Dulcior aut gelidi fontis sit potus in umbra,  
Lectus et in molli gramine propter aquas.  
Saepe illam memini, multo sermone uocantes,  
Inprimis canos appetuisse fenes.  
Alma quies, quid enim tu gaudia nostra moraris?  
Solve animam fesso corpore, membra leua.  
Flecte rotas, quæ illa leuis uectetur ad altum poli:  
Tecta poli, et campos transeat Elyfios.  
Testis erit, modo quem deslenimus. Ah quibus illi  
Ultima languenti uocibus acta dies:  
Nec melior medicina fuit senioque grauato,  
Et morbo, senium cui graue fomes erat.  
Morbo, quem celesber nequeat superare Machaon,  
Quique dei docta nomen ab arte tulit:  
Sola sopotifera possit mors pellere uirga,  
O medicum, quo non certius alter eat!  
Iamne etiam deslere potes? Quin protinus omnes  
Mitte mali tristi pectore reliquias.  
En tibi iam dulces labentia lumina somnos  
Persuadent. An res gratior ulla foret?  
Tunc putas illum fallacia munera somni  
Ferre, neque aeterno corda leuare bono?  
His ubi tristitiam dictis animumque pacauit,  
Tunc redit incerto somnus et umbra gradu:  
Somniaque inducit fusca circumdata ueste:  
Heu semper nostro somnia uisa malo!  
Quæis noua nunc etiam nobis data causa dolendi,  
Nec licuit curas deposuisse toro.  
Adstitit ante pedes mulier uelamine pullo,  
Afflictae mentis plurima signa ferens.  
In speciem Cybeles turres in uertice gessit.  
Multa illi comitum moestaque turba fuit.  
Postquam cuncta graui fletu planctique repleuit,  
Ore indignanti talia dicta refert.  
Si te forte pii coetus reuerentia tangit,  
Nec grauat immemoris lumina lapsa sopori:  
Aspice, desertor melioris perfide partis,  
Sum pietas orbis religioque boni.

Nobis nulla quies, nec cum sol spectat ab alto,  
Nec cum seiunctis nocte quiescit equis.  
**Quin** tu etiam uigili luctu mea castra secutus,  
Communis causae fata gemenda gemis?  
Flebas: at citius iusto suspiria ponis.  
Verbaque dum prodis, proderis arte tua.  
Parua tibi cani capicis iactura uidetur,  
Vixque decem lachrymis hic opus esse putas.  
Haec tibi fulcra reor nostri firmissima coeli:  
Quois modo subtractis procinus ille ruet.  
Nusquam erimus, nostri proceres si morte fatiscunt,  
Nec poterit iuuenum turba cedere patres.  
Vestris non impune meus dimittitur oris  
Antistes: laesi numinis illa nota est.  
**At** tibi nunc cohibent a fletu lumina somni,  
Nec tremis irati signa tremenda Dei.  
Quod si nec nostra, propria nec sorte moueris,  
Tu saltem attrata commoueare domo.  
Illa patrem, quo non meliorem uiderat ortus  
Occasusque, suo perdidit e gremio.  
**Quo** non usque pater fortuna laetior ullus  
Mittentis clara germina prole domus.  
**Ac** ueluti excelsa numerosam a stipite, ramos  
Multa fronde, uides surgere progeniem:  
Quae simul, atque illum uenti uis horrida strauit,  
Ingenti damnum mota tremore trahit:  
Sic postquam eximia genitorem callida gentis  
Mors secuit, cunctos una ruina quatit.  
Plura locuturae similis, dum brachia tendo,  
Tristia uerba parans, umbra repente fugit:  
**Meque** inter gemitus nocturnaue uisa relinquit,  
Ah sero radios luce ferente nouos.  
**Ergo** Elegi, afflictae, conduntur, carmina mentis.  
Hinc mea Musa pari nesciat ire pede.  
Nunc etiam angusto uix quidquam in pectore restat,  
In numeros redigi quod queat, inque modos.  
**At** tu moesta domus tandem deslere parentem  
Desine, pro nullo nacta parente duos.  
Desine religio. Vel sic tua causa triumphat,  
Cuius apud superos ille patronus erit.  
Salue sancte senex, magnum super aethera notus,  
Qua uictrix statuit turba trophaea Deo.

Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.  
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 17  
W 18





ELEGIA

IN  
FVNERE

VIRI SVMMÆ REVERENDI MAGNIFICI  
EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI

DOM. CASPARIS  
LOESCHERI

SVPERINTENDENTIS PER CIRCVLVM  
ELECTORALEM SAXONIAE GENERALIS PRO  
FESSORIS P SCRIPTVRARVM S IN ACADEMIA VITEM  
BERGENSI ET SENATVS ECCLESIASTICI QVI IBIDEM  
VIGET ASSESSORIS GRAVISSIMI CELEBRA  
TISSIMIQVE

AD

AMPLISSIMAM MAGNI PARENTIS FAMILIAM  
NVNG LVCTV ET DESIDARIO ILLIVS  
PENE OPPRESSAM

SCRIPTA

A

CHRISTOPH. FRIDERICO AYRMANNO

FACVLTV PHILOS. ASSESS

A. R. G. cl. 1. 0. CC XVIII

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYP

